

**PAMPHILUS.** Item de eodem aliud testimonium. **ORIGENES.** Videamus ergo quid sit Salvator noster. Splendor dicitur etiam gloria: id est, splendor luminis eterni. Et certum est, quia splendor ex lumine inseparabiliter generatur: & donec permanet lux, permanet semper & splendor. Salvator ergo noster, qui sapientia est: sapientia autem Dei ipsa est splendor eternae lucis: inseparabiliter & indefinenter generatur ex patre. Sic enim & ipsa de se sapientia per Salomonem dicit: Ante omnes colles generat me. Non enim dixit, Ante omnes colles ingenuit me, sed generat me, in quo significantia sempiternitatis est.

IN LIBRO SECUNDO DE  
Spiritu sancto.

**TEMPUS** est nunc nos pro viribus nostris de Spiritu sancto pauca disserere: quem Dominus & Salvator noster in Evangelio secundum Joannem, paraclitum nominavit. Sicut enim idem ipse Deus, atque idem ipse Christus: ita idem ipse & Spiritus sanctus est, qui & in Prophetis & Apostolis fuit: id est, sive in illis qui ante adventum Christi Deo crederunt: sive in his qui per Christum confugerunt ad eum. Et duos quidem Deos audivimus aulos esse hereticos dicere, & duos Christos: duos autem Spiritus sanctos nunquam audivimus ab aliquo praedicari.

QUOD EADEM SIT INCONVERTIBILITAS  
Spiritus sancti, quae & Patris & Filii.  
De libro primo  $\pi\epsilon\pi\iota\ \delta\epsilon\ \rho\iota\chi\omega\tau\iota$ .

**NULLA** ergo natura est secundum quod nos sentimus, quae non possit recipere malum: idcirco non confirmamus omnem naturam recepisse malum: id est, malam effectam: sed sicut est dicere, quia omnis hominis natura recipit, ut possit navigare: non tamen ex eo etiam omnis homo navigavit: & iterum omni homini possibile est discere artem Grammaticam, vel medicinam: non tamen idcirco ostenditur omnis homo vel medicus esse, vel Grammaticus: ita si dicimus nullam esse naturam, quae non possit recipere malum, non tamen continuo recepisse etiam malum designatur: & rursum nulla creatura est, quae non recipiat bonum; nec tamen idcirco omnis natura probatur recepisse quod bonum est.

**PAMPHILUS.** Et post pauca addidit. **ORIGENES.** Nulla ergo natura est, quae non recipiat malum: excepta natura Dei, quae fons omnium est. Et Christus sapientia est: & sapientia utique recipere stultitiam non potest. Et iustitia est, iustitia autem nunquam profecto iniustitiam capiet. Et verbum est vel ratio, quae utique irrationalis effici non valet. Sed & lux est, & lucem certum est quod tenebrae non comprehendunt.

Similiter autem & natura Spiritus sancti, quae sancta est, non recipit pollutionem. Naturaliter enim vel substantialiter sancta est. Si qua autem alia natura sancta est, ex assumptione hac vel inspiratione Spiritus sancti habet ut sanctificetur: non ex sua natura hoc possidens, sed accidens: propter quod & decidere potest quod accidit. Ita & iustitiam accidentem quis habere potest, unde & decidere eam possibile est. Sed & sapientiam quis accidentem nihilominus habet, quamvis in nostra potestate sit positum & studio nostro, & vitae merito si sapientiae operam demus, effici sapientes: & si semper id studii geramus, semper sapientiae participemus: & id nobis vel plus, vel minus accidat, vel pro vitae merito, vel pro studii quantitate.

QUOD AQUALIS SIT TRINITAS,  
& quod Spiritus non sit creatura.  
De libro primo  $\pi\epsilon\pi\iota\ \delta\epsilon\ \rho\iota\chi\omega\tau\iota$ .

**DE** Spiritu sancto quia est, multae nos scripturae docuerunt: sicut David in quinquagesimo psalmo dicit: Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Et in Daniele dicitur: Spiritus sanctus qui est in te. In novo vero testamento abundantibus testimoniis edocemur, cum Spiritus sanctus super Christum descendisse perferatur, & cum ipse Dominus insufflavisset in Apostolos post resurrectionem, dicens: Ac-

cipite Spiritum sanctum. Et ad Mariam dicitur ab angelo: Spiritus sanctus superveniet in te. Paulus vero docet, quia nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto. Et in Actibus Apostolorum per impositionem manuum apostolicarum Spiritus sanctus dabatur in baptismo.

Ex quibus omnibus discimus tantae & auctoritatis & dignitatis substantiam Spiritus sancti: ut salutare baptismum non aliter nisi excellentissimae omnium trinitatis auctoritate, id est, Patris & Filii & Spiritus sancti cognominacione compleatur, & innato Deo Patri, & unigenito ejus Filio, nomen quoque Spiritus sancti copuletur.

Quis ergo non obstupescat quanta majestas sit Spiritus sancti, cum cum qui dixerit verbum in filium hominis, audiat veniam sperare posse: eum vero qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, veniam non habere, neque in praesenti saeculo, neque in alio futuro.

**PAMPHILUS.** Et post pauca adjecit. **ORIGENES.** Veruntamen usque ad praesens nullum sermonem in Scripturis sanctis invenire posuimus, per quem Spiritus sanctus factura esse vel creatura diceretur.

**PAMPHILUS.** Et inferis compluribus testimoniis de virtute Spiritus sancti: post aliquanta etiam haec adjecit. **ORIGENES.** Si revelante filio cognoscit patrem Spiritus sanctus: ergo ex ignorantia ad scientiam venit: quod utique & impium pariter & stultum est, Spiritum sanctum confiteri, & ignorantiam ei ascribere. Non enim cum aliud aliquid esset antea quam Spiritus sanctus, per profectum venit in hoc, ut esset Spiritus sanctus: ut quis audeat dicere, quia tunc quidem cum nondum esset Spiritus sanctus, ignorabat patrem: postea vero quam recepit scientiam, etiam Spiritus sanctus effectus est. Quod si esset, nunquam utique in unitate trinitatis, id est, Dei Patris inconvertibilis, & filii ejus etiam ipse Spiritus Sanctus haberetur: nisi quia & ipse semper erat Spiritus sanctus.

**PAMPHILUS.** Et post pauca adjecit. **ORIGENES.** Rectum tamen videtur inquirere quid causa sit, quod qui regeneratur per Deum in salutem, opus habet & Patre & Filio & Spiritu sancto: non percepturus salutem, nisi sit integra trinitas: nec possibile est participem fieri Patris & Filii sine Spiritu sancto. De quibus discutientes, sine dubio necessarium erit: ut operationem specialem Spiritus sancti, specialem Patris ac Filii describamus.

Arbitror ergo operationem quidem esse patris & filii, tam in sanctis quam in peccatoribus, irrationabilibus hominibus & in mutis animalibus: sed & in his quae ex anima sunt, & in omnibus omnino quae sunt: operationem vero Spiritus sancti nequaquam proflus incidere, vel in ea quae ex anima sunt, vel in ea quae animata quidem, sed muta sunt. Sed ne in illis quidem inveniri qui rationabiles quidem sunt: sed in malitia positi, nec omnino ad meliora conversi. In illis autem solis arbitror opus Spiritus sancti, qui jam se ad meliora convertunt, & per vias Jesu Christi incedunt: id est, qui sunt in novis actibus, & in Deo permanent.

Quoniam autem operatio patris & filii est, & in sanctis & in peccatoribus, manifestatur ex eo quod omnes rationabiles sunt verbi: id est, rationis participes sunt, & per hoc velut semina quaedam insita sibi gerunt sapientiae & iustitiae, quod est Christus. Sed & hoc ipsum quod est & permanet omnis creatura, & operatio est Dei Patris, qui dixit: Ego sum qui sum, quae pervenit super omnes. Ipse est enim qui solem suum orti jubet super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.

**PAMPHILUS.** Et post multam de Patre & Filio per scripturarum exempla assertionem, addidit hanc.

**ORIGENES.** Spiritus vero sancti participationem a sanctis tantummodo haberi invenimus, propter quod dicitur: Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto. Et vix aliquando ipsi Apostoli digni habentur audire, Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos. Propter quod consequens esse puto, quia qui peccaverit in filium hominis, venia dignus est, pro eo quod is qui verbi vel rationis est particeps si desinat rationabiliter vivere, videtur in ignorantiam vel stultitiam decidisse, & propter hoc veniam promereri: qui autem jam dignus habitus est sancti Spiritus participatione, & retro fuerit conversus, hic reipso & opere blasphemasse dicitur in Spiritum sanctum.

QUOD SICUT PATER NOVIT  
initia omnium quae sunt & fines, sic &  
Filius, sic & Spiritus sanctus sciat.

**PAULUS** Apostolus per Spiritum sanctum, qui perscrutatur etiam profunda Dei, altitudinem divitiarum sapientiae ac scientiae Dei scrutans: nec tamen ad finem, ut ita dixerim, ad intimam cognitionem praevalens pervenire: desperatione rei & stupore proclamavit, & dicit: O altitudo divitiarum sapientiae & scientiae Dei. Et quod desperatione perfectae comprehensionis haec exclamaverit: audi ipsum dicentem: Quam incomprehensibilia sunt judicia Dei, & quam ininvestigabiles viae ejus? Non enim dixit difficile posse scrutari, sed omnino non posse judicia Dei: nec dixit difficile investigari posse & vias ejus, sed non posse investigari. Quantumque enim quis scrutando promoveat, & studio interiori proficiat, gratia quoque Dei adjutus, sensuque illuminatus ad perfectum finem eorum quae requiruntur pervenire non poterit: nec omnis mens quae creata est, possibile habet ullo genere comprehendere: sed cum invenerit aliquantum ex his quae quaeruntur, iterum videt alia quae quaerenda sunt. Quod si & ad ipsa pervenerit, multo iterum plura ex illis quae quaeri debeant pervidebit.

Propter quod sapientissimus Salomon naturam rerum per sapientiam contuens ait: Dixi, sapiens efficiar, & ipsa sapientia longe facta est a me, longe plus quam erat: & altitudinem profundam quae invenit: Sed & Isaias sciens rerum initia a natura mortali inveniri non posse: sed ne ab his quidem naturis quae quamvis diviniore sunt, quam humana est: facta tamen & ipsae sunt vel creatae. Sciens ergo quod a nullo harum neque initium, neque finis inveniri potest, ait: Priora quae fuerunt dicite, & sciemus quia dii estis: vel novissima quae sunt annunciate, & tunc videbimus quod dii estis.

Nam & Hebraeus doctor tradebat pro eo quod initia omnium vel finis non possent ab ullo comprehendi, nisi tantummodo a Domino Jesu Christo, & a Spiritu sancto: idcirco aiebat per figuram visionis Isaiam dixisse duos Seraphim solos esse: qui duabus quidem alis operiunt faciem Dei, duabus vero pedes, & duabus volare eos: & clamantes adinvicem sibi dicere: Sanctus, sanctus, factus, Dominus Deus Sabaoth: plena est terra universa gloria tua. Quod ergo sola Seraphim utraque alas suas habent in faciem Dei & in pedibus ejus: audendum est pronuntiare, quod neque exercitus sanctorum angelorum, neque sancta sedes, neque dominationes, neque principatus, neque potestates scire possunt integrè initium omnium & finem universitatis.

Sed intelligendum est sanctos istos quos numeravimus, spiritus & virtutes, proximas quidem esse ipsis initiis: & attingere tantum, quantum consequi non valent reliqui. Veruntamen quantumcumque illud est, quod revelante Filio Dei ac Spiritu sancto didicerint istae virtutes, quae plurima quidem allequi poterunt, & multo plura priores inferioribus: omnia tamen comprehendere impossibile eis est, quia scriptum est: Quamplurima ex operibus Dei in secretis sunt. Unde & optabile est, ut pro viribus se unusquisque extendat semper ad ea quae priora sunt, ea quae retro sunt obliviscens: tam ad opera meliora quam etiam ad sensum intellectumque puriorem, per Jesum Christum Salvatorem nostrum: cui est honor & gloria in saecula saeculorum: Amen.

DE INCARNATIONE VERBI DEI  
Origenes.

**IN** omni orbe terrarum, in omni Graecia atque exteris nationibus, innumerati sunt & immensi, qui relictis patriis legibus, & his quos putabant Deos, vel observantia Moyse legis, in discipulatum se Christi cultumque tradiderunt: & hoc non sine ingenti odio eorum qui simulacra venerantur: ita ut ab his frequenter & cruciatibus affligantur, nonnunquam etiam agantur in mortem. Amplectuntur tamen, & cum omni affectu custodiunt doctrinam Christi sermonem.

Et est videre quomodo brevi tempore ipsa religio creverit, penes multorum mortibusque proficiens: sed & bonorum direptionibus, atque omni ab his afflictionem genere tolerato. Et eo maxime mirum est, quod ne doctores quidem ipsi, vel satis idonei sunt, vel satis plures. Praedicatur tamen

sermo iste in omni orbe terrarum: ita ut Graeci ac barbari, sapientes & insipientes, religionem Christi sive Christi doctrinam suscipiant.

Ex quo dubium non est, non haec humanis viribus aut operibus agi: ut cum omni potestate ac persuasione sermo Jesu Christi, apud omnium mentes atque animos invalescat. Nam & praedicta esse ab eo haec ipsa, & divinis ab eo responsis confirmata, manifestum est, cum dicit: Quia ante praedes & iudices adducemini propter nomen meum in testimonium illis & gentibus. Et iterum: Multi mihi dicent in illa die, Domine Domine: nonne in nomine tuo manducavimus & bibimus, & in nomine tuo demonia ejecimus? Et dicam illis: Discedite a me operarii iniquitatis, nunquam cognovi vos. Quae si ita quidem dicta ab eo fuissent, nec ad finem tamen ea quae praedicta sunt pervenissent: fortassis minus esse vera viderentur, nec habere aliquid auctoritatis. Nunc vero cum jam in effectum res quae fuerant ab ipso praedicta perveniant: cum tanta autem potestate atque auctoritate praedicta sint: manifestissime declaratur Deum verè esse, qui homo factus, salutaria praecipua humilibus tradidit.

Quid vero inde dicendum est, quod Prophetae de ipso ante praedixerunt, non cessaturos principes ex Juda, neque duces de sacerdotibus ejus, usquequo veniat ille, cui repositum est regnum scilicet, & usquequo veniat expectatio gentium? Manifestissime enim ex ipsa historia apparet, & his quae hodie pervidentur: quia ex temporibus Christi ultra reges apud Judaeos non extiterunt.

Sed & omnes ambitiones illae Judaicae, in quibus iactantiae quam plurimum gerebant, & in quibus gloriabantur: id est vel de Templi decore, vel de altaris insignibus: atque omnibus illis sacerdotalibus infulis, indumentisque pontificum, simul universa destructa sunt. Completa est enim propheta, quae dixit: Per dies multos sedebunt filii Israel sine rege & sine principe: nec est sacrificium, neque altare, neque sacerdotium. Ex quo utique subversum est templum, nec hostiae offeruntur, nec altare invenitur, nec sacerdotium constat: certissimum est decessisse principes ex Juda, sicut scriptum est, & duces ex sacerdotibus ejus usquequo veniat ille cui repositum est. Constat ergo quia venit ille cui repositum est. Quod manifestè videtur impletum de multitudine eorum, qui per Christum Deo ex diversis gentibus crediderunt.

Sed & in Deuteronomii cantico per Prophetiam designatur, pro peccatis prioris populi futura esse ejectio infensae gentis, non alia utique quam haec quae per Christum facta est. Sic enim ait: Exacerbaverunt me in simulacris suis: & ego in zelo concitabo eos. Est ergo satis evidenter agnoscere, quemadmodum Hebraei qui Deum exacerbasse dicuntur in his qui non sunt dii, & irritasse eum in simulacris suis: irritati sunt & ipsi in zelotypiam, per gentem insipientem, quam Deus elegit per adventum Christi Jesu & discipulos ejus. Sic enim dicit Apostolus: Videte enim vocationem vestram fratres, quoniam non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, & ea quae non sunt: ut ea quae erant prius, destrueret.

Non ergo gloriatur omnis caro in conspectu Dei. Sed & de his quae in psalmis prophetantur de Christo, quid dicendum est: de eo maxime qui superscribitur canticum pro dilecto? Ubi refertur quia lingua ejus calamus scribe velociter scribentis: decorus specie super filios hominum: quoniam diffusa est gratia in labiis ejus. Hoc est quod brevi tempore transacto, ejus doctrina diffusa est. Anno enim & aliquot mensibus docuit: universus tamen orbis praedicatione ac fide pietatis ejus impletus est. Orta est ergo in diebus ejus iustitiae multitudo permanens usque ad finem: qui finis ablato lunae appellata est: & dominatur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad fines orbis terrae.

Datum est autem & signum domui David. Virgo enim in ventre concepit, & peperit Emmanuel: quod interpretatur nobiscum Deus: & impletum est quod ait ipse Propheta: nobiscum Deus, scitote gentes & viciniam. Victi enim sumus nos, & superati ex gentibus, & velut exuviae ejus existimus, qui ejus gratia nostra colla subjecimus.

Sed & locus nativitatis ejus praedictus est in Michae Propheta dicente: Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in ducibus Juda: ex te enim exiit dux, qui regat populum meum Israel. Sed & septimanarum annorum impleta



funt usque ad Christum ducem, quas prædixerat Daniel Propheta.

Adest nihilominus & is qui per Job prædictus est belluam ingentem consumpturus: qui & dedit potestatem familiaribus suis discipulis calcare super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici nihil ab eo nocendis.

PAMPHILUS. Hæc est de summis rebus: id est, de sancta Trinitate Originis fides: quam ex paucissimis testimoniis, de compluribus ejus voluminibus assumptam edocui-mus. Et quid tam rectum, quid tam verum, quid tam catholicum, quid certe ad instructionem omnium magis utile, vel apud istos certe ipsos qui inimica adversus eum mente de-serviunt, quid tam irreprehensibile? Et quidem in summa hæc posuisse de fidei ejus documento ac probatione, sufficeret: nisi etiam ad reliqua quorum eum criminantur respondere necessarium videretur.

Intueamur tamen quæ sint istæ ipsæ criminationes, quæ à malevolis intenduntur.

Prima illa est, quod dicunt eum innatum dicere Filium Dei.

Secunda, quod dicunt eum per prolationem, secundum Valentinum fabulas, in substantiam venisse Filium Dei dicere.

Tertia, quæ his omnibus valde contraria est: quod dicunt eum secundum Artemam, vel Paulum Samosatenum purum hominem: id est, non etiam Deum dicere Christum Filium Dei.

Quarta post istas est, quæ omnibus istis adversatur, cæca enim est malitia, quod dicunt eum dicere *θεω*, id est, putativè tantum & per allegoriam, non etiam secundum ea quæ juxta historiam referuntur gesta esse, quæ omnia à salvatore gesta sunt.

Quinta illa quoque criminatione est, qua asserunt eum duos Christos prædicare.

Sexta, addunt illud quoque quod historias corporales, quæ per omnem sanctam Scripturam referuntur de gestis sanctorum, penitus denegat.

Septima, sed & de resurrectione mortuorum, & de impiorum pœnis, non levi impugnant eum calumnia, velut negantem peccatoribus inferenda esse supplicia.

Octava, quidam vero disputationes ejus, vel opiniones quas de animæ statu, vel dispensatione differunt, culpant.

Nona & ultima vero, in eum est criminatione illa, quæ cum omni infamatione dispergitur *μετενομοματίας*: id est, quod humanas animas in muta animalia, vel serpentes, vel pecudes asserat transmutari post mortem: & quod etiam ipsæ mutatorum animalium animæ rationabiles sint. Quam criminationem idcirco novissimam posuimus: ut plura de libris ejus coaccervantes exempla, evidentius ejus falsitas nosceretur. Si ergo bene meminimus ordines criminationum, quas supra conscripsimus, incipiamus à prima.

QUOD EX DEO PATRE NATUS EST  
filius unius cum patre substantiæ. Ex primo libro  
Epistolæ ad Romanos. Origenes.

QUÆRAT fortassis aliquis si filius charitas est: præcipuè propter hoc quod Joannes ad Deum Patrem retulit hanc vocem, dicens, quia Deus charitas est. Sed rursus ex ipsa ejus Epistola proferemus & illud quod ait: Charissimi diligamus invicem: quoniam charitas ex Deo est. Qui ergo dixit, quia Deus charitas est: ipse iterum docet charitatem esse ex Deo, quam charitatem credo non esse alium nisi unigenitum filium ejus: sicut Deum ex Deo, ita charitatem ex charitate progenitam. Unigenitus filius salvator noster, qui solus ex patre natus est, solus natura, & non adoptione filius est. Unus ergo verus Deus solus habet immortalitatem: lucem habitat inaccessibilem. Unus ait verus Deus: ne scilicet multis veri Dei nomen convenire credamus. Ita ergo & hi qui accipiunt spiritum adoptionis filiorum, in quo clamant, abba Pater, filii quidem Dei sunt: sed non sicut unigenitus filius. Unigenitus enim natura filius, & semper & inseparabiliter filius est: ceteri vero pro eo quod susceperunt in se Filium Dei, potestatem acceperunt Filii Dei fieri. Qui licet non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt: non tamen ea nativitate sunt nati, qua natus est unigenitus filius. Propter quod quantum differentiam verus Deus habet ad eos quibus dicitur,

ego dixi dii estis: tantam habet differentiam verus filius ad eos qui audiunt, filii excelsi omnes.

DE LIBRO EPISTOLÆ AD HEBRÆOS.  
Quod *ὁμοούσιος* est cum Patre Filius, id est,  
unius substantiæ.

INTERROGAMUS igitur eos quos piget confiteri Deum esse Filium Dei, quomodo poterat sola humana natura, nihil in se habens eximium, neque aliquid divinæ substantiæ, hæreditatem capere, omnem principatum, & omnem potestatem & virtutem, & his omnibus præferri ac præponi à patre. Unde rectum videtur quod præstantior esse debeat is qui hæreditatem capit: & genere utique & specie & substantia & substantia vel natura, atque omnibus quibuscumque modis debet esse præstantior.

PAMPHILUS. Et post pauca in eodem libro. ORIGENES. Cum autem discutitur hoc quod dictum est, de Filio Dei quod sit splendor gloriæ: necessario videtur simul differendum, & illud quod dictum est, non solum quia splendor est lucis æternæ, sed & quod huic simile in sapientia Salomonis refertur: in qua seipsum sapientia describit, dicens: Vapor est enim virtutis Dei, & aporrhæa omnipotentis Dei gloriæ purissima.

PAMPHILUS. Et post aliquanta. ORIGENES. Oportet autem scire nos: quia per ineffabilia quædam & secreta & recondita quodammodo, vim sibi faciens scriptura sancta, conatur hominibus indicare, & intellectum suggerere subtilem, vaporis nomen inducens. Quod ideo de rebus corporalibus assumptum: ut vel ex parte aliqua possimus intelligere: quomodo Christus qui est sapientia, secundum similitudinem ejus vaporis, qui de substantia aliqua corporali procedit: sic etiam ipse ut quidam vapor exoritur de virtute ipsius Dei: sic & sapientia ex eo procedens, ex ipsa Dei substantia generatur: sic nihilominus & secundum similitudinem corporalis aporrhææ esse dicitur: aporrhæa gloriæ omnipotentis pura quædam & sincera. Quæ utraque similitudines manifestissime ostendunt communionem substantiæ esse filio cum patre. Aporrhæa enim *ὁμοούσιος* videtur, id est, unius substantiæ cum illo corpore ex quo est vel aporrhæa vel vapor.

PAMPHILUS. Satis manifeste, ut opinor, & valde evidenter ostensum est, quid Filium Dei de ipsa Dei substantia natum dixerit, id est, *ὁμοούσιος*, quod est ejusdem cum patre substantiæ: & non esse creaturam, neque per adoptionem, sed natura filium verum, & ex ipso patre generatum. Superest ut & secundæ criminationi illatæ sibi ab acculatoribus per nos quidem prolatis: sed suis verbis ipse respondeat, duobus vel tribus testimoniis adhibitis, quibus æquum est secundum legem nostram omne verbum stare.

NON PER PROLATIONEM NATUM  
esse Dei Filium, secundum Valentini  
impietatem. Origenes.

EGO arbitror quod sufficere debeat voluntas Patris, ad subsistendum hoc quod vult pater. Volens enim non alia via utitur, nisi quæ consilio voluntatis profertur. Ita ergo & ab eo filii substantia generatur: quod necesse est in primis suscipi ab his qui nihil ingentium, id est, innatum præter solum Deum Patrem fatentur. Observandum namque est, ne quis incurrat in illas absurdas fabulas eorum, qui prolationes quasdam sibi ipsis depingunt: ut divinam naturam in partes vocent, & Deum Patrem, quantum in se est, dividant: cum hæc incorporea de natura vel leviter suspicari, non solum extremæ impietatis sit, verum etiam ultimæ insipientiæ: nec omnino vel ad intelligentiam consequens: ut incorporeæ naturæ substantialis divisiō possit intelligi. Magis autem sicut voluntas procedit à mente, & neque partem aliquam mentis secut, neque ab ea separatur, aut dividitur: tali quadam specie putandus est pater filium genuisse, imaginem scilicet suam: ut sicut ipse est invisibilis per naturam, ita imaginem quoque invisibilem generet. Verbum enim est filius, & ideo nihil in eo sensibile intelligendum est. Sapientia est, & in sapientia nihil corporeum suspicandum est. Lumen est ve-

rum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: sed nihil habet commune ad solis hujus lumen.

DE HIS IPSIS EX LIBRO QUARTO  
*πρὸς ἀγγέλους.*

TEMPUS est decursus his, quæ de Patre & Filio & Spiritu sancto differimus: de illis quoque quæ à nobis relicta fuerunt pauca repetere. Deus Pater & cum invisibilis sit, & inseparabilis à filio: non per prolationem ab eo, ut quidam putant, generatus est. Si enim prolatio est filius patris: prolatio vero dicitur, quæ talem significat generationem, qualis animalium vel hominum solet esse progenies: necessario corpus est, & is qui protulit, & is qui prolatus est.

PAMPHILUS. Tum deinde in consequentibus vehementius adversus hæresim Valentini talia scribentem invecus, longe his contrariam suam sententiam secundum catholicæ fidei protulit veritatem.

DE HIS IPSIS EX SECUNDO LIBRO  
super Joannem.

UNIGENITUS ergo Deus Salvator noster, solus à patre generatus: natura & non adoptione filius est. Natus autem ex ipsa patris mente: sicut voluntas ex mente. Non enim divisibilis est divina natura, id est, ingenti patris: ut putemus vel divisione vel imminutione substantiæ ejus, filium esse progenitum. Sed mens sive cor, aut sensus de Deo dicitur est, inconcussus permanens, germen proferens voluntatis, factus est verbi pater. Quod verbum in sinu patris requiescens, annunciat Deum, quem nemo vidit unquam: & revelat patrem, quem nemo cognovit nisi ipse solus his, quos ad eum pater cælestis atraxerit.

PAMPHILUS. Sufficiat per hæc respondisse secundæ criminationi: nunc consequenter respondebimus etiam his, qui purum hominem, id est, sine Deo, ab eo dici asserunt Christum.

QUOD NON PURUS HOMO, SED  
divinæ naturæ sit Christus. De primo libro  
*πρὸς ἀγγέλους.* Origenes.

EX eo quod dicit Apostolus Paulus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum: manifeste datur intelligi, quia non erat homo Christus Jesus, sed erat divina natura. Non enim si homo esset, dixisset Paulus hoc quod ait: Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem. Si enim homo fuit Jesus, & per ipsum assumptus est in apostolatam Paulus, utique per hominem erat factus Apostolus. Si autem per hominem erat factus Apostolus: nunquam dixisset, quia neque per hominem. Sed manifeste separat ab humana natura Jesum Paulus per hæc verba. Non enim sufficere ei dixisse, neque per hominem, sed adiecit dicens: sed per Jesum Christum. Quem utique quia sciebat excellentioris naturæ esse: propterea se dixit non assumptum esse per hominem.

PAMPHILUS. Hæc in initio Epistolæ dicens, in sequentibus libris ipsius similia adiecit: exponens illud capitulum in quo scriptum est: Notum autem vobis facio fratres Evangelium quod prædico vobis: quoniam non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, sed per revelationem Jesu Christi. Adverte ergo quid scribit.

ORIGENES. Quia convenienter quis & hæc adjungens prioribus, ostendere poterit his qui negant deitatem Jesu Christi, sed hominem eum solum pronunciant: quod non est homo, sed Deus Filius Dei Jesus Christus. Sic enim dicit Apostolus: Quia Evangelium quod evangelizavi vobis, non est secundum hominem, sed secundum Jesum Christum. Evidenter ergo ostendit, quia Christus Jesus non est homo. Si autem non est homo, sine dubio Deus est: imo non aliud erit nisi homo & Deus. Et iterum, si verum est quod dicit Paulus: quia non ab homine accepi illud Evangelium, sed per revelationem Jesu Christi: certum est quia Jesus Christus, qui revelavit, non est homo. Alienum est ab homine revelare, quæ ei occulta sunt & velata sunt. Quod etiam si aliquando per hominem fiat, non tamen ab homine fit, sed ab eo qui in homine loquitur Christus.

PAMPHILUS. Tempus est his ita evidenter ostensis, nos etiam ad insequentis criminationis tendere defensionem, brevitatis studio paucorum testimoniorum probatione contentos: adversus eos qui dicunt eum per allegorias adimere omnia quæ de salvatore scripta sunt corporaliter facta.

ORIGENES. Adjungendum est etiam illud his quæ supra diximus, quoniam corpus Christi non erat alienum à terrena substantia, secundum hoc quod filius est David, & filius est Abraham, sicut scribit Matthæus: Liber generationis Jesu Christi Filii David, filii Abraham. Et sicut Paulus dicit: Christum esse ex semine Abraham, & ex semine David secundum carnem. Quod ergo dictum est, quia consummatus quadraginta diebus jejunii & quadraginta noctibus, postea esurivit sine dubio hoc indicat, quod evacuati & repleri similiter ut nostra corpora solent, etiam illius poterat corpus.

Si vero quis objiciat nobis hujus miraculi rationem, de quadraginta dierum jejunio, facile solvi potest, cum adhibetur etiam illud exemplum de Moysè & Elia, qui similiter petulisse jejunium referuntur.

Sed & illud quod itineris labore & æstu fatigatus, sedens super puteum requiescit & sitit: quid aliud indicat nisi nervorum fatigationem: & solis ardore nimio, elementum corporis humoris absumptum: Quod vero in melioribus occupatus, hoc quod bibere voluerat distulit, nec bibit, non propterea dicendum est, quia nec passus est sitim.

Sed & illud quod frequenter vocatur per cænas, & in conspectu omnium manducat & bibit: non decipiens vel fallens oculos videntium facit, neque putative ut quidam arbitrantur hæc gerit: maxime cum ita fumeret cibum & potum, ut à quibusdam etiam quæsi pro præsumptione nimia culparetur, velut cibum & potum avidius ac propensius appetens.

Si autem quis violentius velit asserere, ideo hæc ita esse, quia per phantasmam manducabat: & illi quomodo id ferret nesciebant: Respondendum est ad ea, ex his quæ Dominus ipse dixit: Venit Joannes Baptista neque manducans, neque bibens, & dicit, dæmonium habet: venit filius hominis manducans & bibens, & dicit: Ecce homo devorator, & vinum bibens. Ipse enim salvatore dicente, quia venit filius hominis manducans & bibens: quomodo ausus est aliquis dicere, neque manducasse eum, neque bibisse? Quæ utique manifesta incredulitas est doctrinæ ejus. Si autem manducabat & bibebat, & substantia vini atque esæ in carnem ejus efficiebatur: sine dubio per omnes corporis ejus compages membrorum diffundebatur. Spiritualem enim naturam, sicut quidam de ejus corpore sentiunt, quod imperite satis & absurde faciunt: impossibile est vini atque esæ substantiam recipere.

Si vero quis indignans, obscænas ad hæc inquisitiones proferat, requires si etiam digestionem in corpore fiebant: nihil absurdum videtur fateri secundum consequentiam naturæ corporeæ. Si vero etiam exemplis à nobis hæc exigant affirmari: ostendendum est illos satis hæc insipienter inquirere. Ubi enim ista de Apostolis vel cæteris sanctis referuntur facta, vel etiam de impiis & peccatoribus? Sed & circumcisionis ejus ratio, nobis quidem non generabit angustiam: dicentibus eum consequenter humano corpore & circumcisum esse, & præputium ejus terræ mandatum, fortassis usque ad tempus: aut si aliter est, in alia disputatione requiretur. Hæc tamen ejus circumcisio satis coangustabit eos, qui ex diverso sunt. Spirituale enim corpus quomodo poterat circumcidi terreno ferro? Propter quod non erubuerunt quidam ex ipsis de præputio circumcisionis ejus, etiam libros edere: quibus ostendere conarentur quod in substantiam cesserit spiritualem.

Non minus autem angustabuntur etiam illi qui animale corpus dicunt esse corpus Christi. Sed & de sanguine ejus & aqua quæ processit de latere ejus hasta compuncto à milite, eadem sentienda sunt. Sed his qui sciunt quid audiatur per hoc quod dicitur: quia fixuræ clavorum erant in ejus corpore: manifeste declaratur quia caro erat terrena, id est, humana natura: quæ utique non erat talis ut recipiendorum vulnerum subterfugeret qualitatem: quasi non etiam multa humana infirmitatis in ipsa morte sensisset. Anima perturbatur, & tristis est pro ea usque ad mortem.

Quæ omnia evidenter ostendunt, quod non falso, sed quasi homo dixerit: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Eadem nihilominus ostendit etiam somni ratio,